

Bibliothèque numérique

medic @

**FODERÉ, François Emmanuel. - De
infanticidio**

1814.



Licence ouverte. - Exemplaire numérisé: BIU Santé
(Paris)

Adresse permanente : <http://www.biusante.parisdescartes.fr/histmed/medica/cote?TSTR1814x396>

1

396.

DE INFANTICIDIO,

FRANC. EMM. FODERÉ,

LITTER. PHILOSOPHIÆ AC MEDICINÆ DOCTORIS,

DISSERTATIO ACADEMICA,

PRO DISPUTANDA MEDICINÆ FORENSIS CATHEDRA,

OBITU PROFESSORIS *TINCHANT* VACANTE,

IN ARGENTORAT. MEDICA FACULTATE,

AN. MDCCCXIV XXVII.ª DIE,

HORA TERTIA POMERIDIANA.



ARGENTORATI,

Typis LEVRAULT, almæ Facultatis medicæ typographi.

1814.



Concursus Judices.

D. DE MONTBRISON, Academiae Rector, Præses.

Judices, DD.....

| | | |
|---|---|----------------------------------|
| } | TOURDES, | } Medicæ Facultatis Professores. |
| | LAUTH, | |
| | CAILLIOT, | |
| | COZE, | |
| | FLAMANT, | |
| | KRAMP, Medicinæ Doctor, Facultatis scientiarum Decanus. | |

Judices supplementes DD.

| | | |
|---|---------------------------------|----------------------------------|
| } | MASUYER, | } Medicæ Facultatis Professores. |
| | GERBOIN, | |
| | SCHWEIGHÆUSER, Medicinæ Doctor. | |

DE INFANTICIDIO.

L. B.

De necessariis, in infanticidii crimine probando, cognoscendis observandisque prævise adnotationes.

INFANTICIDII nomine nuncupari nuper nati homicidium, illudque vel per *commissas* læsiones, vel per *omissa* debita auxilia perpetrari, vulgo constat.

Duplicem finem sibi proponunt de hoc iudices inquirentes : delicti, scilicet, perfectam probationem, et sontis detectionem. Pari passu, an mors naturalis, involuntaria, nec ne; an accusationis passibilis sit præventa, sedulo investigandi, medici interpellati officium est. Quam ardua sæpe res! et quanta doctrina, animi vis, perspicacia, in iudicando requiritur!

Perfragilem admodum esse fetus vitam, quæ facile ante partum, sub partu, et post ipsum inevitabili fato succumbat, nemini ignotum : poterit ergo accusata prætere, se mortuum, immaturum, infirmum, prave conformatum partum edidisse; et ideo de fetus morbis, lethalibusque aberrationibus, de signis in utero mortui, vivi in lucem editi, maturi vel immaturi, etc., peritum desiderari medicum, ne unicuique inficias ibit.

Comprobandum postea erit, an gravida fuerit rea? an puerpera? an humanum partum enixa sit? an naturalis, felix, vel non naturalis, diuturnus, difficilis partus? an primipara, vel non? an, præsentibus puerperii signis, cum his, recentibus, vel fere jam evanidis, consentiant homicidiati infantis ætas, volumen, constitu-

tio, putredinisque plus minusve inchoatæ indicia? Pro quibus omnibus judicandis, artem obstetriciam, graviditatis et partus phænomena, nuper editi de die in diem incrementa, mutationes modificationesque, theorice non modo, sed etiam clinica exercitatione, callere omni opere oportet.

Meus ergo erit labor, infanticidii, de quo jam fusius alias disserui¹, præcipua momenta hic compendiose tractandi, ita ut tamen, sat quantum mihi licet, fidum habeant tyrones criterium, ne capite plectatur innocens mater, neque impii facinoris pœnas effugiat noverca; utque de omnibus scitu necessariis lucidior fiat sermo, in septem sectiones dividetur opusculum:

Prima : De in neonatum patris violentiis;

Secunda : De signis fetus mortis in utero, et de modo judicandi an vivus in lucem editus sit;

Tertia : De maturo ac immaturo fetu, et de non vitali ob pravam conformationem;

Quarta : De infantis nece, ob omissa debita;

Quinta : De signis prægressi puerperii;

Sexta : De infanticidium excludentibus et excusantibus, cum restrictionibus;

Septima : De infanticidio præcavendo.

Anxietate et invidia non vacaret medici forensis officium, interream plerumque miserationem commoventem, inflexibilemque justitiam positum, nisi præsentem Deum nobis adesse crederemus. Neque imaginandum, propter tot magnorum vivorum lucubrationes, perfectum esse opus atque consummatum: ea est, e contra, humana conditio, ut quo longius in scientiarum stadium progressi simus, eo difficilius metam attingere videamur. Sed hæc, in rebus dubiis, sapienti manet via, scilicet, ignorantiam profitendi, ita ut ad mitiorem partem vergant judicum decisiones.

¹ *Traité de médecine légale et d'hygiène publique, t. IV, ch. 5.*

SECTIO PRIMA.

De patris violentiis in neonatum.

§. I.

Læsiones adultis lethiferæ, tales etiam infantibus sunt, et eo magis quo teneriores. Illarum multæ, conspicuæ, secundum generaliores regulas considerandæ veniunt: aliæ, majori studio illatæ, et dolosæ, solis, vel frequentius, omnino nuper natis contingunt, peculiaremque medici attentionem merentur.

Inter primas recensentur destructiones totales, vel in parte, compressiones, contusiones, strangulatio, vulnera varia, etc.: inter secundas, acupuncturæ, primo momento invisibiles, suffocatio, submersio.

§. II.

Læsiones visibiles, destructiones. Sic nonnunquam delicti corpus maxima ex parte avertere conantur perversæ matres. Eo refertur abruptio capitis, et aliquando medietatis trunci. Sed notandum, hæc non nisi ab alia persona, dum in partu constitutus est infans, peragi posse: ideoque non valere eventus excusationem, propter partum solum et clandestinum, perdifficilem, dum, terminato partu, una sola persona potuit hoc scelus perpetrari. Unde de circumstantiis interroganda mater. Idem de aliis membris avulsis.

§. III.

Compressiones et contusiones. Prolis caput, vel thoracem, vel abdomen, et etiam totum corpus quandoque comprimunt infanticidæ, atque sic, visceribus contusis, huic vitam misere demunt. Ad hoc mortis genus pertinet illius atrocis viduæ historia, quam

in meo opere retuli, quæ, puerperio pressa, præsentibus octo mulieribus ex vicinis, audacter cloacam portatilem, ut alvum exoneraret, sibi afferre jussit, ibique, iis insciis, spiritum retinens, fetum septimestrem edidit, quem, femoribus compressis, prout e vulva exiret, necavit, cranio conquassato, sicque prima voce respirationeque impedita.

Potuit equidem comprimi infans in partu laborioso et diurno, sicque animum dimittere; sed talis partus est probandus. Ultimi compressionis gradus exemplum dedit celeberr. J. HUNTER, in sua de infanticidio epistola; at non adhuc liquido patet, an in partu, vel post partum, originem habuerit monstruosa hæc compressio.

Noscuntur hæ læsiones ex integumentorum et musculorum ecchymosi, impressione relicta; ex depressa *fontanella*, fractura cranii; effusione sanguinea, vel sanguineo-serosa, in cavo cranii, pectoris, abdominis; ex ruptura pulmonis, hepatis, lienis, etc.

Ne tamen pravo oculo consideretur omnis capitis tumor, si quidem quid simile frequens est in partibus paululum laboriosis, et est ex signis fetus vivi enixi. Apte etiam discernendum inter sugillationem *veram* et *spuriam*; inter maculas, livores, quæ à morbo pendent, et illas violentia productas: generatim, sugillatio *vera* est macula livida, quæ, cute dissecta, sanguinem in cellulis effusum exhibet; *spuria* autem est macula, vel livor cujusdam partis, quæ, cute dissecta, nullum sanguinem in cellulosa effusum habet, sed in qua sanguis solum modo in vasis continetur. De hac perutili distinctione alias fusiis disserui.¹

§. IV.

Strangulatio, quæ fit compressione colli, vel manu, vel laqueo; compressione cartilagineum laryngis, vel tracheæ. Facile dignoscitur linea circulari, rubra, vel livida, circa collum con-

¹ Vid. *Traité de méd. légale, etc.*, t. III, p. 46 et suiv.

spicua, si laqueo facta est strangulatio; sugillatione in antica parte colli, si manu; et tandem, aperto cadavere, signis suffocationis generalibus, infra expositis.

§. V.

Læsionum minus visibilium prima et crudelior est, acu longa, jam sub partu per vaginam introducta, capitis, loco *fontanellæ*, perforatio; vel, post partum, acus per nares, per aures, ad cerebrum usque introductio; vel per intestinum rectum, in regione cordis, etc.: unde mortem innocentibus pusionibus accersire non infrequens est. Exactum, per sectionem legalem, scrutinium requirit hic dolosus trucidationis modus. Deprehenduntur aliquoties ecchymoses, et ipsa vestigia et vulnera; neque illorum absentia sectionem impedire debet, propter malitiæ possibilitatem. Palam autem est tali teste excludi lethi spontanei excusationem, quam mortuus infans natus esset.

§. VI.

Suffocatio. Pluribus modis suffocantur infantes: oris et narium obturatione, ope manuum, lintei, spongiæ, cineris, terræ, aliisque corporis faucibus intrusi; stragulorum lecti, adultive corporis, pusionis ori appositione; sulphureo, carbonico vapore, aliove elastico fluido; inclusione in cistam, vel scatulam; in terram defossione, præcipitatione in cloacam, etc.: illorum mox remanent vestigia, mox non; vapores denotat odor.

Saltem præbet autopsia suffocatorum generalia signa sequentia: vultus rubor, vel livor; lingua prominula, tumens; aspera arteria, sero mucoso occupata, et spuma in ore præsens; pulmones densi, livescentes, et, *si infans respiraverit*, sanguine infracti, jugularesque turgidæ; cava cordis dextra, sanguine plena et extensa: *si non respiraverit*, eadem cava cordis distenta, sanguis serosus, effusus in thorace; thoracis membranæ quasi artificiali modo in-

jectæ. Saltem sic observavit ROEDERER in nuper nato sub partu suffocato (si tamen suffocatus dici potest, qui nondum aerem admisit).

§. VII.

Submersio. In balneo, fluvio, puteo, cloaca liquida, etc., infans demergi potuit, vivus, vel mortuus. Signa, si vivus fuerit, eadem sunt ac suffocationis, his addendo, epiglottidem fere semper erectam, *si respiraverit*, et in ventriculo ac trachæa, certam aquæ copiam, cum colore, odore et consistentia liquidi in quo submersus fuit; sic nempe se præbuerunt exempla. Præter hæc, morientibus in aqua frigida, sanguis fere omnis externarum partium ad internas revocatur: unde pallor et maximum frigus.

Si post necem submersus est infans, præcedentium signorum absentia, læsionumque illatarum vestigia, rem sufficienter explicabunt.

§. VIII.

Ab ictu electrico, vel galvanico, extinctos fuisse neonatos, narratur: eadem fere esse signa, dicunt, ac de suffocatis; sed adhuc res in dubiis.

SECTIO SECUNDA.

De signis mortui fetus in utero, et de dignoscendo an vivus partus fuerit.

§. IX.

Non vivo nato infante, de infanticidio nullus amplius sermo esse potest, si acum homicidiale excipias: vitam autem perdere potuit, vel in utero contentus, vel in viam ad lucem. Parum re ipsa interest foro criminali, quoquo modo id factum sit; nam acæ respirationis deficientibus signis, cadit accusatio. Juvat tamen de hac morte aliqua proferre.

§. X.

Mortuum enixum partum in utero, docent : 1.° matris morbi prægressi ; 2.° morbosus secundinarum status ; 3.° infantis corpus laxum, cutis colore púniceo tincta ; 4.° *fontanella*, sine depressionis signis, solito latius dehiscens, subsidens ; 5.° cranii, vel aliæ partis impressiones, si adessent, nulla ecchymosi stipatæ ; 6.° signa putredinis jam manifesta, ut cuticulæ separatio, odor cadaverosus ; 7.° marcidus, collapsus umbilicalis funiculus ; 8.° et tandem, quod probationem coronat (signis nempe præcedentibus, matrisque assertis non unice fidendum), secto cadavere, pulmonum situs et habitus, versus dorsum latentium, cor minime tegentium, profunde subrubrorum, haustumque aerem signorum indicantium totalis defectus.

§. XI.

Illorumdem signorum absentia, simulque matris ante partum secunda valetudo, partus diuturnus, laboriosus, infantis bonus habitus, contusiones, compressiones, ecchymoses (quæ cum vita unice fiunt), aliæque læsiones, malitia haud signatæ, fetum mox, sub partu, vitam perdidisse, erunt indicia.

At, restat difficultas, potuisse, ut volunt varii auctores, certis in itineris positionibus, una vice saltem respirare infantem ; quo mortuo, vixisse demonstrabit sectio legalis. In hac solvenda, ad partus conditiones animum volvendum, atque ad gradus dilatati pulmonis ; quæ si inter se conveniant, scilicet imperfecta respiratione cum partus difficultatibus consentiente, talis necis possibilitatem admittere fas erit.

§. XII.

Vixisse, seu respirasse infantem, desumitur : 1.° ex voce, motuque recte animadversis ; 2.° ex partium internarum illius, qui non respiravit, contemplatione, collationeque cum visceribus

fetus qui respirationis compos fuit ; 3.° ex, in sufficienti aquæ copia, pulmonis natatione, vulgo *docimasia pulmonali* ; 4.° ex phænomenorum, quæ in organorum vitalium functionibus adducere solet aeris affluxus, physiologica contemplatione.

§. XIII.

Fetalis vitæ centrum fere in abdomine exstat, infantis autem in thorace. Sequentia, in mortuo-nato : *in abdomine*, fere semper in vesica urina ; in intestinis *mæconium* ; venæ portarum systema sanguine turgidum, jecur peramplum ; ad pectus *diaphragma* repulsum ; *thorax* in ambitu depressus ; *pulmones* densi, versus dorsum retracti, colore rubreo præditi, sanguine minus donati ; ad dorsum et inferiores summe inclinatus *brunchiorum* ramus sinister ; *pericardium* nudum, a pulmone sinistro non tectum.

E contra, a sola, *sed perfecta* respiratione : *in abdomine*, vacua vesica, vacua ferme intestina ; *diaphragmatis* aponevroticum centrum versus ventris viscera convexum ; *thorax* jam arcuatus ; uterque *pulmo*, præcipue dexter (qui, ex clariss. PETIT et PORTAL, primus aerem hausit), expansus, domum replens ; illorum substantia, ex rubra alba, ex gravi levis, ex densa rara, dissecta, spumosum sanguinem fundit, crepitat ; manu sub aquis expressa, bullulas aeris dimittit, cujus tanta inest cum pulmonibus affinitas, ut, ex meis experimentis, nullo modo, nisi coctione et putredine, illo privari possit ; tandem, a superiori sinistra parte *pericardium* tectum.

§. XIV.

In profundo vase, aqua pura, temperata, plena, fit *natationis experimentum*. Evulsorum, cum corde et aspera arteria, ad sui ingressum, pulmonum substantia prius examinatur, quoad colorem, densitatem, elasticitatem, resistantiam, putredinis signa, hydatides, vesiculas aere plenas, aliaque præternaturalia eorum superficiæ quandoque adhærentia. Ponderatur corpus cum pulmonibus,

ponderantur seorsim pulmones, ad *physiologicas* speculationes infra tradendas.

Post hæc, fit totius *immersio*, et observatur num *mergantur*, an *supernatent*, an *medium teneant*. Si medium tantum tenent, soli pulmones iterum immerguntur, observaturque, ut jam, eventus. Separantur inde lobi, ut videatur an uterque eodem modo se habeat, ac ambo, dum juncti erant. Attente, his peractis, secantur pulmones, ut dispiciatur vasorum lumen, attendaturque, si forte schirri, calculi, infarctus sanguinei, aliudve præternaturale occurrat, quod notatur et describitur. Rursus aquæ injiciuntur secti pulmonis frusta, observaturque quomodo singula se habeant: natantia manibus exprimuntur, et, an adhuc natent, necne, dispicitur: etenim, causa respirationi aliena difflata, non amplius natant.

Supernatantes admodum pulmones, cum corde et aspera arteria, integram perfectamque fuisse respirationem, ideoque vitam, indicant; minus perfectam, *si in medio natent*, sique illos a corporibus specificè ponderosis separare necesse sit; minus adhuc, *si alius tantum pulmo, dexter, v. g., natat, aliusque fundum petit*. Vix autem animam duxisse, et forsitan *insufflationem artificialem* tentatam fuisse, ex eo existimabitur, quod tantum aliqua frusta subnatent, pro majore vel minore illorum numero; et tandem *non respirasse pusionem*, si omnimodo pulmones *fundum petunt*.

Hæc est *pulmonum docimasia*, qua, a GALENI tempore, de vita infantum ante acta judicatur. Vix ac ne vix quidem fallit, irritis quibusdam exceptionibus, quæ *non sunt artis*, contradicentiumque speciosis argumentis: mihi nunquam mancum fuisse experimentum sanctè asserere possum, ita ut nihilominus, aquæ fundo repugnare pusionum debilium et exsanguium pulmones, in praxi etiam viderim.

§. XV.

Summorum scriptorum itaque venia, illorum, adversus quod dixi vitæ signum primum, objurgationes, ut nugas, vel cavillationes fere haberem, inexpertos tantum et inconsideratos hallucinari capaces; hæ sunt: emphysema, inflatio artificialis, putrefactio, bullæ aeræ, pro natantibus, etiamsi non respiraverint; mucus, schirri, calculi, polypi, etc., pro non natantibus, irrita ante acta respiratione. At, emphysema casus est admodum rarus, neque in hoc aer pulmone adhæret: minime, sicut parva respiratio, pulmones explicare potest inflatio aliena: putredo, vel est incipiens, et tunc fluidorum elasticorum extricationi nullus datur locus; vel est perfecta, tuncque nullam certam posse esse sectionem, in conspicuo est. Quoad schirros, mucum, etc., nullus, observatis superioribus monitis, ex his, confido, poterit esse error. Aperto juveniculi XI annorum cadavere, schirrosi hujus pulmones fundum petebant; sed pars adhuc sana supernatabat.

§. XVI.

His nihilominus motus, Tubigensis professor, clariss. PLOUQUET, novam, ex physiologicis, docimasie vulgari accessoriam methodum proposuit, variis argumentis a clariss. JÆGER et aliis quoque propugnata.¹

Nimirum, non in sola, in pulmonibus, aeris remanentia, actæ respirationis effectus consistunt; sed ipsis et aliis organis notabiliores et nobiliores contingunt mutationes: excitantur omnes secretiones, excretionisque; novo pabulo ditatur sanguis; obliantur inutilia; novo ordine fit circulatio, collapsaque et compressa pulmonum vasa, nunc dilatata et diducta, majorem, fere duplicem sanguinis copiam recipiunt: quæ mutatio, post mortem, evidentibus signis et vestigiis se prodit.

¹ PLOUQUET, Commentar. in process. criminal. pag. 277 et seq.

Cogitavit itaque D. PLOUCQUER, necessario pondus pulmonum infantis, qui respiraverit, novi sanguinis adventi pondere augeri, sicque alterius, qui minime aerem hauserit, primi ponderosorem esse pulmonem. Ad experimenta progressus, alio et alio corpore integro, et seorsim pulmonibus in æquilibrium positus, notavit : infantis, qui non respiravit, pulmonis rationem ad corpus integrum esse circa, ut 1 : 70 ; et illius, qui respiravit, rationem esse circa, ut 2 : 70, vel ut 1 : 35.

Deficit hucusque hæc methodus experimentorum vi comparativa : interea, cum certum sit ab aere inspirato explicari et sanguine impleri pulmonum vasa, quod nec inflatio arte facta, nec putredo, nec emphysema perficere valent, ad illam, in rebus controversis, prudentis medici erit confugere, ne ulla remaneat dubitatio.

§. XVII.

Sufficiunt autem supra dicta ad vitæ probationem, non vero ad absolutam negationem : non consistit enim vita in omnium functionum, sed in quarundam exercitio. Absque respiratione vivebat fetus in utero ; organisque potitur, quibus, natus, ad aliquod tempus possit quandoque porrigere vitam. Non desunt apud animalia exempla (quæ referunt etiam de homine BOHNIUS, SIKORA, et quondam, ut testis, amicus meus, eximius anatomicus GAVARD) fetuum, scilicet, in scatulis, aliisque cavis inclusorum, qui tamen, post plures horas, vivi reperti sunt ; moriuntur tandem, deficiente calore et sanguine materno.

Præterea, denegatur prima respiratio, si membranis involutus nascitur fetus : quod non plane infrequens phænomenon. Viis aeriferis sic velatis, infanti moriendum est, ni succurratur, mortuisque natis similis fit. Hujus necis convincere ream, impossibile, si sola peperit, dimissisque membranis ; atque excusatur nesciens, si primipara.

Neque minor incertitudo, an vivus, mortuusve natus sit infans,

in sequentibus : ubi, scilicet, sub partu, liquore amnios, sanguine inundatur, ut ex ROEDERO habemus exemplum ; ubi fit partus in balneo, in cloaca liquida, etc. Abfuit prima respiratio : mancum itaque erit nostrum, de ante acta vita, signum.

§. XVIII.

Raris in his casibus, forsân aliquod lumen ferre poterunt sequentia : 1.° si ex matre valida natus sit infans torosus et perfectus ; 2.° si autopsia demonstratur, in thoracem, pulmonibus exceptis, omnem vim sanguinis coactam esse, cordis cavis et majoribus vasis sanguine distentis, thoracis rubentibus membranis, effuso sero sanguineo, cum vasorum abdominalium et cerebri fere integra depletione. Indicare enim videntur hæc phænomena, activatam circulationem repentino casu obrutam fuisse. At a suspitione longe distat certitudo ; nec desunt robusti fetus qui, incerta causa, ante, et sub partu, irritis omnibus auxiliis, pereunt. Nulla ergo facinoris sit affirmatio, nisi quædam, ex dolosis et malitiosis læsionibus, insuper adsint.

SECTIO TERTIA.

De immaturo ac maturo partu, et de non vitali a prava conformatione.

§. XIX.

Vitalis partus dicitur, cui ad vitæ continuationem non desunt necessariæ conditiones ; non vitalis, una vel altera earum carens. Immaturo admodum partus, abortus vocatur, et vitali virtute in foro civili non gaudet. Militat quoque, in foro criminali, pro accusata matre, fetus immaturitas. Assentire tamen nequeo clarissimo FLOUCQUET dicenti : *in partum non vitalem homicidium patrari non posse*. Si quidem, a primis rudimentis vivit

homo, et de vita, non de vitalitate, in foro criminali, quæstio est; neque minus ream hanc matrem judicarem, cujus proles, etiamsi abortus, embryoctoniæ vestigia in cranio haberet.

§. XX.

Ab omni ævo in confesso fuit, eos omnes qui ante septimum, post conceptionem, mensem nascuntur, inter abortus non vitales relegandos esse. Nulla ergo difficultas, si imprægnationis terminus cognitus sit. At raro noscitur, et fere semper abortum infanticidæ accusant; rem palam faciunt maturi vel immaturi signa:

1.º *Longitudo* maturi infantis octodecim vel viginti pollices plerumque adæquat.

2.º *Pondus*: maturus infans fere sex libras pendere solet.

3.º *Corporis habitus*, perfectus et plenus, quoad membra et singulas partes, maturo infanti plerumque competit.

4.º *Cutis color*, apud maturos, roseus vel albidus est; apud immaturos autem, purpureus, præcipue in manuum pedumque plantis.

5.º *In immaturis*, lingua, labia, auriculæ, purpurei coloris esse solent; sique pueruli, nondum in scrotum apparent testiculi. *Ungues* breves, ultimas phalanges, præsertim digitorum pedis, vix tegentes, molles, tenues, purpurei: *fontanellæ* peramplæ: *ossa*, maxime sternum, cartilaginea, mollia, flexilia: *capilli*, teneri, albidi, rari; supercilia et cilia, pilis adhuc rariora: *membrana pupillaris*, videlicet, tenera membrana pupillam obturans, in valde immaturis adhuc apparet.

Cæterum, ubi viventes observantur immaturi partus, ob vocis tenuitatem, mammam apprehendi difficultatem, motus debilitatem, regendi que capitis impossibilitatem, a maturis (quibusdam exceptis) facile distinguuntur.

§. XXI.

Propter organorum vitæ primariorum absentiam, vitiumve ra-

dicale, a vitalitatis legibus recedere potest infans, etiamsi maturus editus: in hoc censu referri debent cranii, cerebri, cordis defectus, hydrocephalus; cordis situs extra thoracem; intestina, aliave viscera ex abdomine propendentia; atresia, et coalitus varii immedicabiles.

Cum his vitiis certe infans vivere non potuisset: quapropter illum sua sorte extinctum, potius quam aliena malitia, æstimare rectæ rationis est.

Sic limitata accidentium enumeratione, sat monere volui, omnino huc non pertinere alias, in artubus et alibi, pravas conformationes, quæ nullum ad vitalitatem faciunt. Idem dicendum de prodigiis et monstis: quæque grandia illa faciat imaginatio, nihil neque de vita, neque de jure, quod habet apud suos homunculus, subtrahere potest.

SECTIO QUARTA.

De mortuo partu ob omissa debita.

§. XXII.

Curis et amoris parentum eripit dira mors numerosos nuper natos: a fortiore pereunt queis crudeliter auxilia denegata sunt. Multis modis sic neglecti succumbunt, ut: ex defectu alimenti, tegumentorum, ex nimio calore, ex frigore, et imprimis ex refrigeratione *fontanellæ*, quæ, cum sit locus ubi ab externis cerebrum magis sentit, nusquam absque periculo vehementer refrigeratur. Dein, si infirmi, sæpissime privantur medicationibus, quibus vitam protraxissent; ut, cum mucus fauces obstruens removendus, vel spiritus inflandus, vel stimulus viribus vitalibus admovendus, vel sanguis ex funiculo mittendus, etc.

Cum autem mors ex tali omissione, ab inevitabili fato spontaneo, nullis fere signis se prodat; cum præterea non facile constet, an inopia, ignorantia, negligentia, dolusve interfuerit, multos

similes casus in suspenso, quoad medicorum relationes, manere necesse est.

§. XXIII.

Non idem plane dicendum de alio omissionis genere, videlicet, omissa *funiculi umbilicalis deligatione*, vel negligenter acta: unde lethalis hæmorrhagia contigerit. Verum equidem est, adversus hanc mortis causam multa argumenta prolata esse, quæ SCULHE, SCHÆEL, et nuper D. GIRARD, eximius Lugdunensis chirurgus, officiose collegerunt. Sed non me movent hæc innovationes, cum, ab omni ævo, omnes populos hujus deligationis necessitatem docuerit experientia; cumque, præter expertorum virorum testimonium, de summo talis omissionis periculo testes etiam oculos meos habeam.

§. XXIV.

Nulla alia hæmorrhagiæ existente causa, restat, ut per funiculum infans exhaustus fuerit, quod noscitur; 1.º ex totius corporis colore albo et fere cereo; 2.º ex pallore omnium viscerum; 3.º ex anæmia, seu sanguinis defectu in vasculoso systemate. Præcipue lustranda sunt venæ cavæ, venæ pulmonales, atria cordis, vasa funiculi umbilicalis; quorum si sit perfecta, vel fere perfecta vacuitas, bono animo, pro nece ab omissa funiculi deligatione concludere poteris, non obstante præsentis ligatura, post effusum sanguinem aliquoties malitiose apposita. Lustrabis etiam pulmones, ut pateat post partum ortam fuisse hæmorrhagiam.

§. XXV.

Potuit nempe nuper natus jam in utero materno anæmia laborasse: id cognoscitur ex matris morbis prægressis, et ex habitu corporis infantis, in primis funiculi umbilicalis, qui, si sit admodum marcidus, contractus, corruptus, morbum prægressum indicabit; si, e contra, hic habitus sit plenus et perfectus, anæ-

miam, ante lucem, non fuisse judicabitur. De alia exceptione, infra.

SECTIO QUINTA.

De signis puerperii.

§. XXVI.

Veram talis infantis matrem designare, sæpissime magis arduum est, quam de illo discernere, an vixerit, nec ne. Mirabile mulierculis alimentum! Nunc cœlebes omnes, quibus venter protensus, in suspicionem veniunt, et in primis si aliqua de causa ventrem deposuerint. Laudare minime possum doctum, cæterum, D. PLOUCCQUET, dum in consilium dat, *si infantis mater plane incognita est, omnes suspectas feminas explorare, an forte signa prægressi puerperii apud ipsas reperiantur, quo casu talis præsumitur mater esse, donec, etc.*; talis enim investigatio honestati publicæ repugnat, et in innocente jam maxima erit pœna.

Etenim, si præter omnem imprægnationis causam, multi morbi, ut obstructions, mensium retentiones, flatus, hydrops varius, tumidum facere possunt femineum abdomen, tumore etiam, brevi tempore, liberari poterit ægra fluxu sanguineo, vel humoralis, per uterinas vias: et tunc, proh verecundia! puerperio suspicabitur hæc misera!

Illas, obscura detegendi facinora, curas sinamus ultoribus Diis; sinamus famæ, obtreccioni, vicinarum loquacitati; sinamus sceleri ipso, sæpe imprudenti!

§. XXVII.

Recens, vel non, fuit partus. Recentis signa sequentia sunt:
1.º mox edito partu, *pulsus* abdominalis, frequens, serratus, qui post aliquot horas naturalis fit, iterumque, altera vel postera

die, fit elatior, frequentior, cum diaphoresi, nascente, scilicet, lactea febris; 2.° vultus et totius corporis *pallor*; 3.° *tumor* mollis externarum genitalium partium; 4.° *vaginæ* uterinæ magna ampliatio; 5.° *lochiorum* rubrorum fluxus, vel alborum, *odorem specificum*, fere acidum, spirantium; 6.° *orificium* uterinum molle, aliquantum hians, in labiorum margine inæquale; 7.° *frenuli* labiorum vulvæ absentia; 8.° abdominis rugositas atque flacciditas, *lineæque albicantes et splendentes*; 9.° mammæ turgidæ, et lac in illis præsens; papillæ crassæ, et discus coloratior; 10.° quandoque in cruribus *maculæ varicosa*.

§. XXVIII.

Hæc non nisi a prima usque ad sextam diem rite observantur; nam, post septimam, octavam, vel decimam, plus minusve, fere evanescent recentis puerperii signa, manetque tantum lochiorum species, a qua nihil certi desumi potest: a prima, itaque, usque ad septimam diem puerperii, investigatio est instituenda. Tardius, si reipsa parturiens femina fuerit, *cum puerperio incerto tempore passo* confunduntur signa, quæ sunt: 1.° abdominis albicantes et splendentes lineæ (vulgo *vergetures*), quæ nunquam delentur; 2.° vulvæ labiorum *frenuli* absentia; 3.° orificii uterini inæqualitas; 4.° fluxus leuchorroicus.

§. XXIX.

At, ut jam adnotatum est, falsam graviditatem, falsum pariter partum, sincerum simulantem, procurant aer, aqua, hydatides, coacervatus cruor, membranosa concrementa, mola, et alia inorganica; mammæ ipsæ, omni tempore, ætate, longe ab imprægnatione, et etiam absque ipsa, lactem separare visæ sunt. An ergo veri partus progressi nulla certa probatio?

Arbitror, sæpe nimis voluntario involucro verum tectum fuisse. Durabiles haud sunt morborum per uterum fluxus, neque lochio-

rum odore speciali stipati; cum illis, jam observante expertissimo MAURICEAU, sociâ venit adversa valetudo: dum, e contra, post puerperium et in primis legitimum (cum hoc non sit morbus, sed functio), florida fit femina. Absunt, in simplice humorum alluvie, remissarum partium contusio, dolor, vulnus, dilutus color, qui, et etiam in sanatis partibus, post puerperium, semper in manifestum se prodit. Denique, post partum, etiamsi effugere tentent, semper succione in mammis lac sincerus obtinetur: fugit præsens, cum menstruorum copioso fluxu, vitiatorum liquidorum alluvie; e contra (quod mirabile et specificum est), fluentibus lochiis, ascendit. Ergo, ex his omnibus, non separatim sed conglobatim sumtis, puerperium a morbo discernendi locus plerumque erit.

§. XXX.

Detecta puerpera, nunc manet statuendum, an proliis expositæ sincera sit mater. Hic etiam attente observandum quomodo sibi respondeant matris suppositæ partium naturalium mammarumque habitus, et infantis conditio, recentis, vel non; maturi vel immaturi indicia; ætas vero similis, volumen, etc.: verbo delicti instrumentum delicto ipso porrigatur, videndi causa an reapse inter se referant.

SECTIO SEXTA.

De infanticidium excludentibus et excusantibus, cum restrictionibus.

§. XXXI.

Ex parte matris, infanticidium excludunt ipsius morbi; excluditurque etiam, ex parte aliorum, sicut et matris, nuper nati morte spontanea.

§. XXXII.

Matris morbi. Homicidiare, neque partus habere curam valuit puerpera, si insana, maniaca, melancholica, mentis inops; si,

partus tempore, *narcotismo* (cujus in meo opere exempla dedi), vel morbo acuto cerebri afficiebatur; si summa debilitate, febris putrida, immensi hæmorrhagia correpta esset. Hæc vero, non dictu tantum, sed regulis medico-legalibus de venenorum actione, de morbis intellectum turbantibus, etc., etc., comprobari debent.

§. XXXIII.

Infantum mortales morbi. Necis inevitabilis specifica quædam genera nuper natos obsident, homicidium ea propter excludentia, ubi observantur. Præter quæ paragrapho XXI relata sunt, habemus: deliquium; statum apoplecticum; copiosum mucum, glottidem, tracheamque occupantem, primam respirationem impediendam, vel secundam, propter hujus in pulmonem relapsum; linguæ revolutionem; varia organica thoracis vitia, ut polypus, steatomata, etc.; universam debilitatem, qua infans ex novis ambientibus mutationem tolerare nequit, quod immaturis in primis accidit; convulsiones, spasmos, respiratorias vias potentiasque obsidentes, et quandoque biliosos ductus, ut flavedine corpus deturpetur. Spasmorum, aliorumque morborum, post mortem sæpe nihil remanet; sed, cum tristi experientia eorum possibilitas comperta sit, illos in causam mortis, nulla alia occurrente, admittere licebit.

§. XXXIV.

Excusationis multa sunt genera, quæ negare injustum inhumanumque foret, si *solum* peperisse accusatam, *in loco dissito*, auxilium *clamanti* negato, compertum sit. Nempe, non semper tumoris, sugillationis, ossisve etiam capitis prominentis præsentia violentam matris manum denotat. Vivum sub partus initium fuisse infantem, equidem patet; incertam autem interitus causam relinquit: ex partu laborioso, diuturnoque æque oriri poterunt contusiones compressionesque, præsertim in primipara, si sola et absque auxilio; quod non infrequens est.

Admissibilis itaque erit hæc excusatio, 1.^o si eventus, ut dixi, conditiones adsunt; 2.^o si difficilis reapse prægressi partus sint indicia, quæ ex partium contusione lacerationeque desumuntur; 3.^o si angusta sit pelvis; 4.^o si prolis corpus, præter ex partu cognititas læsiones, durorum, acutorum corporum, unguium, etc., vestigiis immune omnimodo se præbet.

§. XXXV.

Contendunt quoque accusatæ, partum tam celeriter procedisse, ut, cum starent, vel sederent, elapsus fuerit; adeoque solo, aliisve corporibus duris illisum caput violentiam, absque ipsarum culpa, passum esse: sic rumpitur funiculus, si brevis, attracta etiam aliquoties placenta, ut sic partus perficiatur: vel, si longus, solus infans terram attingit.

Propter quod castis mulieribus succedant hi casus, admittenda illorum possibilitas: sed examinandum an pelvis valde ampla, infansque hujus respectu minutus sit; lustranda venit funiculi conditio, an ruptus, an cæsus; dein, multis vicibus, de puerperii modo, de funiculo, de secundinis interroganda puerpera, ut ex variis responsionibus veritas elucescat.

§. XXXVI.

Neque omnino impossibilis censenda est, in brevissimo partu, immediata recens nati in cloacam præcipitatio, mejendi, atque alvum deponendi stimulo matre pressa; eo magis quod aliæ, et aliæ functionis, pro inexperta, vix varietur stimulus: ad talis excusationis admissionem, eadem, quæ in præcedentibus paragraphis, consideranda veniunt.

§. XXXVII.

Atque etiam simplex in faciem proni recens nati mora inter matris femora, in linteis, sanguine, atque aliis sordibus,

usque dum pro secundinis matri succurratur, ipsi mortem apoplecticam sæpe procuravit, quod apud honestam puerperam nuperrime succedere vidi.

§. XXXVIII.

Fetus strangulationem, in datis casibus, fieri posse, narrant obstetriciæ artis periti, a collo uteri, vagina, funiculo umbilicali; neque, ex exemplo operatoris constrictæ manus in utero contracto, impossibile. At, in hoc excusationis genere, comprimentis potentia, circa collum, æstimabuntur vestigia. Equabilem sugillationem efficiunt orificium uteri, vagina et funiculus; manus non itidem, nec quoad figuram, nec quoad profunditatem: dein, si sint cutis excoriationes, funem, manum unguibus armatam potius indicarent, quam lævium matris partium vim comprimentem.

§. XXXIX.

Pro omissa funiculi deligatione, dici potest fetum, in ipso partu, hæmorrhagia extinctum fuisse: quod possibile, quando, 1.º in partu funis umbilicalis dirumpitur; 2.º ubi placenta, nimis cito soluta, metrorrhagiam producit. Sed una mater periculose patitur: unde, pro asserti veritate, militare debent partus diuturnus, laboriosus, et matris ipsius anæmia. His aliter se habentibus, fallax omnino est excusatio.

§. XL.

Tandem, in lite de infantis vita ante acta, quam negat mater, quæque aliqua pulmonum natatione suspicatur, illorum officiosa inflatio pro excusatione desumi poterit, si omni violentiæ vestigio immunis est nuper natus, si parum adeo dilatatus detegatur pulmo, ut tantum aliqua frusta subnatent, sique distincte, quomodo rem peregerit, accusata demonstret et enumeret, quippe non tam facile fit insufflatio, nec nisi, v. gr., clausis naribus succedit, etc.

SECTIO SEPTIMA.

De præcavendo infanticidio.

§. XLI.

Potentissimus, me hercle, est hic tenerarum puellarum internus sensus, qui, ne devictus videatur, amorem maternum, religionem, dolorem, sui ipsius conservationem contemnere jubet: neque suppliciis, neque opprobrio, experientia teste, defugetur dirum scelus, cujus (proh dolor!) altæ manent in natura radices, truncus vero, rami et fructus, in civili vita. In ea sum ergo sententia, majoribus laudibus dignari, qui infanticidium præcavendi efficacem medium inveniret, quam qui de illo discernendo sapientius effaretur.

Proposuit, ea de causa, clariss. PLOUCQUET (oper. citati p. 209) *institutum universale balnearum socialium quovis mense, a quavis non maritata, 14 — 48 annorum, repetendorum*. Sunt auctoris verba. At, in mentem non venit quomodo cogitare potuisset eximius ille vir, libero animo, cunctas cælebes, infamiæ et contumeliis sese exposituras, pro quibus fugiendis, invitæ, si opus est, crudeles et inhumanæ fiunt!

§. XLII.

Muta culpa mutam etiam prophylaxim desiderare mihi videtur. Raro si quidem in sola matris malitia principium habet infanticidium. Minus frequens est in locis ubi non objurgantur suas lactantes illegitimas proles, et magis insolitum dicitur in Anseaticis urbibus, in quibus pro puerperis non desunt institutiones. Arceretur itaque ut plurimum, ni fallor:

1.° Si de puellis et viduis gravidis partu clanculum levandis tenerentur omnes obstetrices, sique ex ærario publico honestam, pro quolibet simili partu, mercedem acciperent;

2.° Si garrulæ obstetrices gravi pœna afficerentur ;

3.° Si domo publica obstetricia instrueretur quævis civitas, pro pauperibus atque illicito amore gravidis, in qua, mutato nomine, et etiam velato vultu reciperentur ; in loco remoto sita ; idoneis lectis, cubilibus amplis, bono victu, optimis medicamentis, peritis medicis, chirurgis et infirmariis, circumspectis, haud curiosis, provisa ;

4.° Si admodum multiplicarentur *prolium expositarum* domus publicæ, nutricibus sanis apprime instructæ.

5.° Tandem, tam in foro ecclesiastico quam in civili, persemper in omni Europa, in illicitæ imprægnationis delictum aboleantur pœnæ ; illæ enim, propter timorem inductum, abortui infanticidioque persæpe præbuerunt locum.

In hoc consentiunt omnes generis humani scriptores amici, et in primis illustres viri FRANCK et PLENK, in quorum sententiam me sæpe incidisse, gloriatur lætor.

FINIS.

STRASBOURG.

De l'Imprimerie de L'Université, sous le Patronage de la Faculté de Médecine.

1814.